



# **Expositio Arnaldi Ossati in disputationem Jacobi Carpentarii de methodo**

<https://hdl.handle.net/1874/9510>

EXPOSITIO  
ARNALDI OSSATI

IN DISPUTATIONEM  
Jacobi Carpentarii de  
Methodo.



PARISIIS,  
Apud Andream Wechelum.

1564.

2

E X P O S I T I O   A R -  
N A L D I   O S S A T I   I N  
disputationem Jacobi  
Carpentarii de  
Methodo.



DISPUTATIO tua, Jacobe Carpentari, quod non sit unica Methodus, visa est mihi sic perscripta esse, ut cum nihil profus efficias, aliquid tamen efficere videri cupias. P. Ramus præceptor meus in ista quaestione rem initio accuratè proposuerat ac definiverat, ne quis falleretur: Non se de quolibet methodo quarere, sed de ea tantum, qua artium præcepta jam inventa, jamque sigillatim judicata disponerentur & collocarentur: Hanc esse dispositionem artificiosam & perpetuam priorum artis præceptorum, quæ à natura prioribus & notioribus, ad posteriora & ignotiora natura progrediatur: ut cum eruta primùm fuerit artis materia, (quod Logicæ inventionis opus esse Aristoteles docuit) deinde separatim judicata & probata (quod Logicæ dispositionis in enuntiatio & syllogismo proprium est) si requiratur ordinis ratio, primum illud sit, quod per se queat intelligi, cætera autem sine ipso nequeant: secundum, quod à primo pendeat, ab eo autem sequentia: eademque ratione tertium, quartum, quintum, & reliqua deinceps collocentur, ita ut semper natura priora & clariora præcedant, natura verò posteriora & obscuriora consequantur. Et quoniam, via quæ à generalibus & universalibus, ad specialia & singularia progreditur, ea sola procedit à natura prioribus & notioribus, idcirco hanc unam, in disponendis artium præceptis, viam tenendam esse, cum eodem Aristotele, P. Ramus profitetur. Et

hanc artis methodum unicam & singularem esse docuit maximo prorsus & certissimo argumēto, quia hæc sola via esset ad intelligentiam artium & memoriam clarissima, maximeque compendiaria: contraria autem via contrariis vitiis obstructa esset, obscuritate & prolixitate. Hanc demonstrationem P. Ramus ex Aristotele attulit, quæ firmitate veritatis, & soliditate iudicii Geometricas etiam demonstrationes omnes superare videatur. Addit ad hanc tam illustrem tamque necessariam demonstrationem, auctoritatem momento gravitatis parem, omnes artes illam viam sequi voluisse, quamvis partibus omnibus non sint assequutæ. Hac una methodo, atq; isto solo dispositionis genere Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, & quamlibet aliam doctrinam progredi, cōtrario prorsus nullam. Itaque sentētia P. Rami, quæ unicam artis & singularem methodum constituit, altissimis est defixa radicibus, sic ut nulla vi labefactari possit, nullis argumētis everti, nunquam dimoveri loco. Si causam requiras, intelligentiæ & memoriæ profertur causa maxima: sine effectum, locupletiora atque sanctiora huiusce rei testimonia & exempla nulla requiri poterāt, quam artium ipsarum, de quarum methodo hic agitur: quæ omnes una voce clamantes testificantur, hanc unicam & singularem methodum sibi familiarem & notam esse, *διότι καὶ ὅτι* omnesque arculas, totumque Aristotelis *μυροθήκιον* hic adhibitum vides. Tu quinque annos, & eo plus (ur tu ipse profiteris fol. II. pag. 2.) magna cum cura & diligentia meditatus es hanc quæstionem de Methodo. Itaque videamus quid tanta, tamque diuturna commentatione dignum contra hanc sententiam tam ἀποδεικτικῶς καὶ γεωμετρικῶς affirmatam & stabilitam afferas. Duabus & quadraginta paginis disputatio tua producta est: in quibus nihil est quod, vel minimum, officiat lumini ac splendori duarum illarum P. Rami demonstrationum: imo veró ( tanta vis est veritatis) tu ipse tandem tua ipsius voce & confessione confirmabis, quod vano & inani conatu tibi videris infirmare.

hæc

hæc omnia polliceor me suis locis expositurum: ( quæ causa præscripti tituli fuit ) & quidem ea moderatione animi, ut à me contumeliam nullam auditorus sis, nisi tuas in P. Ramum: quas, ut singulæ occurrerint, ita tibi, quò te ipsam facilius agnoscas, repræsentabo primum, deinde etiam refutabo. Atque ut libri tui singula momenta perpendamus, duas in partes ipsum distribuemus. Prior nobis erit ab initio usque ad folium duodecesimum, quod tu octavum notasti: Posterior inde ad finem usque. Ita enim accidit ut tui libri pars omnino dimidia nihil prorsus ad quæstionem attineret, reliqua minus à quæstione esset aliena. Agedum igitur, incipiamus. Titulus libri tui est, *Disputatio de Methodo quod unica non sit, contra, &c.* At P. Ramus nusquam dixit unicam esse methodum absolutè: sed artis ordinandæ & collocandæ (cùm ejus materies inventa & sigillatim judicata sit) unicam & singularem methodum esse docuit. Hæc tua prima laus est, quæstionem alienam tibi fingere. Itaque mirum nõ erit in tota tua disputatione te tam longè tamque vehementer aberrasse. Proæmium tuum nihil habet cõtra P. Ramum, præter convitia impotentis animi & malevoli. Verùm quid ista probra ad quæstionem de methodo artis informandæ, & probra præsertim laudis & gloriæ plena? Eum tu Regis Edictis damnatum ais, qui tot annos. liberales artes tanta omniũ bonorũ utilitate & læticia, tâta regis sui nõ solũ liberalitate, sed gloria proficitur? Ubi verò pudor & modestia tua fuit, cùm dicere ausus es à Senatu damnatum, quem Senatus sua sponte non solum calumniis tuis & tuorum liberavit, sed publici & honesti in Academia gymnasii præfectura exornavit? Tandemque postea in hujus, quam exprobras, tempestatis æstu, Senatusconsulto suo, & restitutionem bonorum & quæstionem absenti decrevit, & pace constituta, primum omnium in Academiam restituit: ut jam P. Ramus bonis omnibus & doctis tanto charissimus sit, quanto tu odiosissimus esse meruisti. In eò verò

jam non modestia solúm, sed communis pene sensus  
 tibi defuit, doctíssimorum hominum sententiis dam-  
 natum dicere. Doctíssimos, opinor, homines intelli-  
 gebas tui similes, & Logica tibi pares: aut cúm, op-  
 pugnatís scripto quodam suo vestris sophismatis, eadé  
 iudicii veritate & æquitate damnatus est, qua per ludi-  
 brium histrionix, in scena, per te, capite obruncatus.  
 Itaque ut caput illi per tuas fabulas adhuc salvum est,  
 sic per iudicium illud fama ingenii & doctrinæ incolumis  
 & integra. Veruntamen quid iudicium illud commemoras,  
 cúm, te etiam consentiente, omnes ordines  
 Parisiensis Academiæ P. Ramo novos honores decernēdos  
 censuerint, quód primúm in causa prati publici, salutem,  
 deinde in conservandis privilegiis dignitatem nobis univ-  
 versis procurasset? Et hujus quidem honoris testimonium  
 tandiu feretur, quandiu publicarum Academiæ tabularum  
 memoria extabit. Sed valde humanum & æquum illud fuit,  
 de calamitate publica & casu privato. Enimvero si quis á  
 latrone spoliatus apud te conqueratur, tu, justissime  
 iudex, non latronem supplicio, sed spoliatum cachinno  
 tuo dignum iudicabis. Ecquid igitur? etiamne á P. Ramo  
 ejulatus muliebres hic expectasti? Deus tibi, tuisque  
 fortunam perpetuó secundam largiatur, aut in adversa,  
 P. Rami animum atque cōstantiam. Simile illud est,  
 á maturo scilicet ac venerando juvene senilem ætatem  
 exprobrari. At ista senilis ætas si te suis vel unguibus  
 dignum censuisset, cheu misero tibi: jam multó viridior-  
 em sentires, quám nescio quos nervos tuos emortuos,  
 per quos tibi, licet Medicinæ discipulo, valde verendú  
 est ne senescas unquam. Faxit tamen Deus ut aliquan-  
 do talis senectus, edomita juventutis tuæ ferocia, tibi  
 possit exprobrari. Sed enim perge: voluisti hic intelli-  
 gi qualis esses, nō P. Rami sententiam refellere. Duæ pro-  
 ximæ paginæ cōtinent Alcinoi locum, pro fundamento  
 & firmaméto disputationis tuæ, quód sit triplex A-  
 nalyfis. At locus iste si verus esset, pericūlum disputa-  
 tionis

tioni tuæ potiùs crearet, quàm adjumentum ullum afferret. Verùm fallax est & captiosus, & á te ipso paulò pòst improbat: Alcinousque tuus Platonice philosophiæ, quam pollicetur, se tam ignarum hic ostendit, quàm tu te Aristoteleæ deinceps ostendes; ut cæcus & cæcum secutus meritò in eandè foveam cadant, neque mirum sit tali præceptori discipulum talem contigisse. Sequitur deinceps folio 1. & 2. ut tu notas, sophisticum lexicon, ex tua & tui similium sophistica: quòd dicatur Analysis tripliciter, primò Geometrica ab ultimis ad prima, secundò Aristotelea á primis ad ultima, tertió totius integri in particulas ultimas. Hic verò fundamenti tui valde immemor Alcinoi tui partitionē valde imprudenter τῆς ἀπολεσχίας sophisticate condemnas, quod antea significaveram, & duas Alcinoi posteriores Analyses in Geometricam illam primam includis. Ita non jam tibi tanta cum P. Ramo, quàm cum Alcinoo tuo pugna est. Et hic mihi sophistica significationum tuarum mirabilis fuit. Qui enim Platonem Græcè totum studiosè legerunt, & omnes ejus de Dialectica locos observarunt, Analyseos tamen verbum, quanvis Geometricum, quanvis Platoni familiarissimū, in Platonis libris, eúm de Dialectica aliquid philosophatur, animadvertere nondum potuerunt. Tu homo ἀναλφάβητος, qui vix Ficini qualemcunque versionem intelligis, dic obsecro, ubi, quo in Platonis libro legisti? Jam tertia tua Analysis á toto ad particulas, si est ut syllogismi in enuntiationes, & enuntiationum in terminos (ut Aristoteles appellat) quid á prima differet? Equidem miseret me tui, qui in eos laqueos te indueris, unde sine magna infamia expedire te nequeas. Analysis tibi ex Aristotele, quæ non intelligis, repetitur á Geometris. At tu, nisi tam esses ἀγεωμέτρητος, quàm es ἀναλφάβητος, didicisses quibus in propositionibus Euclides & Archimedes, & quomodo ad syllogismum tantum, non ad istam, de qua agitur, methodum, Analysis utantur: neque te unquam tam turpiter deridendum nobis in illo

erudito pulvere versatis propinavisses. Sed P. Ramum calumniari, quám ab eo Logicá & Geometriam discere maluisti. In distinctione Geneseos par sapientia est. *Genesis* (ais) est progressio primúm á partibus ad totum integrum, deinde á formis ad genus, tertió á fine ad media & á mediis ad finem. Eandem denique in synthesi & diæresi distinctioné vis intelligi. At Logice mirifice, quid nobis isto loco somnasti? aut á quo mercatore merces istas tam invisas, tam inauditas, aut ex qua barbarie profectas emisti? Nominasses? saltem auctores tuos. Analysis, Genesis, Synthesis, diæresis alba tibi, an atra sit, nihil laboras: quicquid denique, & quacunque confusione fingi potest, est tibi Analysis, est Genesis, est synthesis, est diæresis: quia est á summo ad imum, aut ab imo ad summum, aut aliquo tuorum istorum modorum permistum. Hoccine fundamentum disputationis tuæ nobis esse voluisti? Atqui ista sophismata tam cornuta non solúm positæ quæstionis aliena, sed falsa, & falsó auctorebus attributa, P. Rami sententiám, quod unica sit artis ordinandæ methodus, nunquam labefactabunt, nunquam loco movebunt. Verúm age: jacta sunt firmissima disputationis tuæ fundamenta: reliqua exædificatio consideretur. *His ita positis, Jam* (ais) *ad nostrum Thessalum veniamus.* Thessali nomen P. Ramo ingeniosé tibi videris affingere: & ut quondam in histrionia illa tua vetere nescio quibus aliis nominibus traducebas, ita nunc tibi nova placet actio: & cüm milies *Thessale, Thessale, Thessale*, inclamasti, credis futurum, ut libri tui lectores existiment P. Rami sententiám, quod unica sit artis collocandæ methodus, abs te magnificè & præclaré refutatam. At tu, qui Thessalus fuerit, nescis, nisi per adversariú Thessali, cujus scripta si extarent, collatis contrariarum sententiarú momentis, judicari denique posset, utra justior & verior causa esset. Sed tamen, ut ut sit, in Thessalo convitium á Galeno maximum est, quod insolens & arrogans fuerit, quod Arithmetícá, Geometriám, Astronomiam nescierit:



scierit: quorum utrunque si tibi maximé omnium convenire dicam, ideoq; Thessali nomen tibi tam aptum, tibi ut retineas, jubeam: quid, obsecro te, Carpentari, quid dicturi sunt ii, qui te bene norunt? Ego veró id nō faciam, quippe qui tãto erga te modestior esse cupiam, quanto tu in P. Ramum dissolutior fuisti. At tu repetis etiam fol. 3. veterem illam novæ academiæ calumniam, ex eadem illa tua histrionia, in qua, ut histrio nescio quis Socratem Athenis, sic tu P. Ramum Lutiæ in scena traduxisti. Equidem doleo te ex ea patria natum, quæ multos huic Academiæ viros diligentes & fructuosos, Fabros, Sylvios, Fernelios, Hortensios, Fleffelios, & jam denique Ramos aureos extulit, te, inquam, tuorum popularium tam dissimilem inveniri. Ingenio aliquo natura te genuit, sed crudo & acerbo: studium etiam quoddam adfuit, sed ambitio & æstus animi ad magistros turbulentos te contulit. Comitia Mathurinensia multó sapiús quàm Græcorú vel Mathematicorum auditoria frequentasti. Hinc morbus quidam comitialis professioni philosophiæ, vel etiam medicinæ, valde alienus atque contrarius. Itaque ut in comitiis quantumlibet valentem Mathematicum, vel philosophum, tuis suffragatoribus, superare consuevisti, sperasti quoque quæstionem de unica artis instituendæ methodo obtineri posse. Falleris, Carpentari, & multó plures in ista quæstione P. Rami discipulos offendes, qui te, si ad punctum temporis paululum tui dissimilis esse voles, fallaci de te conceptæ opinionis errore liberabunt. Quorum & si minimus ego sum, tamen valde spondeo te & tui similes, has calumnias & fraudes sophisticas non impuné laturos esse. Verum enim vero tu maledicus convitiator esse pergis: Eadem pag. P. Ramum vocas in antiquitatem cõtumeliosum, & postea etiam veterum juratum hostem, cùm ille, contra tua & tui similium sophismata, honorem & dignitatem Hippocratis, Platonis, Aristotelis imprimis, deinde reliquorum summis illis proximorú omni stu-

dio tueatur, eorumque sententias, ad verbum citatis locis, ostendat: tu autem Platoni & Aristoteli ea affingas, quæ ipsi cum verbis, tum reipsa & exemplis averfantur. Eum præterea dicis repuerascere in nugis, & insolere. Tu verò, Carpentari, ea conditione es, ut adhuc repuerascere non possis, qui puer esse non desieris: Cæterum nugæ sophistarum sunt, hoc est tui similia, insolentia verò unius Carpentarii propria. Sed, obsecro te, Carpentari, quid tot maledictorum tuorum sophistica ad quæstionem, quòd artis informandæ methodus non sit unica? Tandem significas te hæcenus nugatum esse, neque quidquam ad rem dixisse: & quæstionem de methodo artis unica ex P. Ramo constituis, contraque profiteris te non esse unicam demonstraturum. Jam Logicus videri vis, & rem propositam agere. Age igitur, quænam hic argumenta habes ad evertendam illam P. Rami sententiam? *Est* (ais folii 3. pag. 2.) *Inventio artium ut collocatio*. Esto inquam quis negat? *Et inventionis via contraria collocatio*: Esto id quoque: quid tum? non hic de inventione artium quæstio est, sed de earum jam inventarum, & sigillatim judicatarum methodica dispositione & collocatione. Et tu ipse, ut omnes intelligant te de industria sophistam esse, citas locos duos ex libro P. Rami, ubi ait se non quærere quomodo res *ἐπιστημονικὰ* sint inquirendæ, sed quomodo, cum inventæ fuerint, collocandæ & quo ordine disponendæ. An non tu igitur sciens & prudens sophista es? Quod si te hic in methodo errare non sentis, & isto modo progredi methodicum esse putas, simul & illud tibi necessariò fatendum est, te ne umbrâ quidem habere methodi: ac tibi quidvis potiùs agendum, quàm de methodo scribendum fuisse. At nunc tandem de quæstione dices, quoniam tu ipse in eam incidisti. Imò verò octo paginas rebus alienis refertas nobis obtrudes, antequam de ea verbû ullum facias. Ac statim non solum ad aliena, sed etiam ad falsa digrederis: & primùm Platonis locum dicis,

fol. 4. á P. Ramo methodi turbatorem appellari, & affirmas eadem religione, qua pleraq; ejusmodi toto tuo libro affirmasti. Ille veró non Platonis, sed Aristotelis potiús perversé intellectum locum turbatorem videri posse dixit. Deinde exultas septem continuis paginis dum ineptissimé quæris identidem, cur P. Ramus inventionem artis omiserit: & interea plerisque, eodem etiam colore, plumis surreptis ex animadversionibus, cornicula, te exornas. Sed tamen ó homo hominum doctissime, & in Logicis eruditissime, satisne hic sanus es? P. Ramus duas Logicæ partes cum Platone & Aristotele constituit, inventionem & judicium: priorisque præceptis non solúm artium, sed omnium omnino rerum investigationem proponit. Sic Aristoteles doctrinam causarum, factorum, subjectorum, adjunctorum, & reliquorum copiosé, vel potiús effusé, tradidit: nec novos præterea inveniendi locos ad artium investigationem accommodavit. Methodus autem illa, quam tu in inveniendis artibus somnias, est illa inductio (de qua Ramus in loco distributionis) qua omnes artes inventas esse & Plato, & Aristoteles, & cum utroque P. Ramus profiteretur. quæ ex causis, effectis, subjectis, adjunctis, dissentaneis etiam est, quia ex quatuor primis illis locis distributio partium est, & differentia: & eadé distributio est in dissentanea. quæ tam turpiter ac fœdè non ignorares, si P. Rami Dialecticam ad te conformandum meditari, quàm calumniari maluisses. Vides igitur, Jacobe Carpentari, quàm prudens & docta sit tota disputatio tua, nec abs te magis P. Ramum accusari, quàm Aristotelem, quàm quemlibet Logicæ magistrum, quàm denique te ipsum, qui Logicæ magister videri vis, neque tamen in tua bella Dialectica aliam propriam artium inventionem docuisti. Accusas esse prætermittam artium inventionem, quæ amplissimé & evidētissimé demonstrata est. Neque manca hic P. Rami Logica est, ut tu clamitas, sed plena & copiosa. In illa veró disputatione de methodo si quæ-

ras cur inventionem omiserit, quis non te derideat? Quid enim? Tu ipse nonne tibi licere vis, in hoc tuo libello, de hac quaestione disputare, ut interea tamen totam Logicam non explices? Cur igitur quod tibi arrogas, idem alteri licere non vis? Volo, inquires, hanc vestram unitatem methodi nominatim refellere: & ille, inquam, voluit istam methodorum artis multitudinē nominatim refutare. Sed hætenus de falsa & fallaci querela tua prætermittæ methodi inveniendarum artium, quæ usque ad folium octavum producta est. Ergo pergamus. Fol. 5. pag. 2. parem Logicam ostendis. *P. Ramus (ais) facit exercitationis Logicæ duas partes Analysis & Genesim, quæ quia contrariæ sunt, una methodo comprehendi non possunt. Ergo duas methodos efficiat necesse est, unam construendis artibus, alteram retexendis.* Equidem quò longius progredior, eò infinitiorem sapientiam istam tuam in te deprehendo, qui non solum á quaestione aliena, sed etiam falsa semper afferas. Etenim dispositio artis quæ tot partitiones rerum cõtrariarum complectitur, an idcirco non unica est? An P. Ramus Analysis operis Logici alia methodo, alia Genesim instituit? An non unica illa in ambabus partibus & singulari utitur, descendendo á summo per media ad infima? An denique multitudinem methodorũ, non unitatem sequitur? Sed hæc, quæ ad exercitationem pertinent, abs te ignorari mirum non est, qui nullam exercitationem, nullum usum amplectaris, imò omnem asperneris & rejicias: cujus si vel micam habuisses, intellexisses qua methodo artes ipsæ dispositæ & collocatæ sunt, eandem omnino methodum servari, dum ipsæ in propositis exemplis retexuntur. Sed hoc fuit inscitiæ & ignorantia tuæ, illud verò quod sequitur, improbitatis & malitiæ, quod fol. 6. pag. 2. comminisceris, pro tua jam tibi v̄sitata religione, totum Logicæ usum á P. Ramo ad veritatem, vel falsitatem quaestionis referri. Atqui P. Ramus in Logicis præceptis in quinquennio tuæ istius disputationis editis, quin etiam  
in

in eo libro de methodo, quem tu nunc oppugnas, docet usum Logicæ, etiam sine ulla quæstione, magnum esse, in tota inventionis & enunciationis per se manifestæ doctrina, in tota etiam methodo: & quæstionis, id est enunciationis dubiæ, Logicam explicationem (quod ad iudicium ejus attinet) ad solum syllogismum referri. Hæc igitur est tua Logica, comminisci quidvis audacter, licenter affingere, & in iis tandē palmarium tui pudoris & urbanitatis ducere. At etiam hic voluisti facetus esse. Itaque *Lepidum artificium, igne de cælo, Marathonem, Leuctra*, ut antea, *philosophiæ regnum, postea, palmarium, Rosci tibiæ, copiæ cornu, ardorem senilem*, id est mel & saccharum, scis à quo pharmacopola sumpseris. Sed ejusmodi avicularum rostris impeti P. Ramus jam pridem consuevit, neque movetur tamen. Verum, orator facetissime, de plurimis & maximis disputationis tuæ laudibus, hæc mihi notabilis imprimis esse visa est, quod hac eadem pagina, ubi nostrum artificium vocas lepidum, ut nunquam ad quæstionem venias, materiam lōgioris digressionis quærens, umbras nescio quas sophisticarū respōsionum tibi confingis, cum quibus Andabatarum more prælieris: & cum iis diu vehementerque luctatus, tandem quarta post pagina, te reprimis, & eloquentiam Ciceronis, Cæsare devicto, bellator acer usurpas. *Sed nimis urgeo*, inquis, addidisses *Commoveri videtur adolescens*, sed senilis ætas exprobrata repugnabat. O lepidum artificium tuum, Jacobe Carpentari, & quidem *ῥητορικώτατα* appositum, præfertim continuo post citatum ex animadversionibus Aristoteleis eum locum, qui tuæ te imperitiæ imprimis admonere poterat, & cujus splendor tantus est, ut sordes tuarum nugarum inde mihi nonnihil splendescere viderentur. Sed video quid volueris. Quoniam ad dimidium tui libri jam perventum erat, voluisti nobis, bonus scilicet orator, movere risum, quo paululum recreati ad alteram partem libelli tui veniremus alacriores. Sed tamen homo *ῥητορικώτατα* non solum

## ARNALDI OSSATI

λογικώτατε, tua hætenus tam prolixis nugis & mendaciis referta disputatio, quid ad quæstionem tibi á te ipso propositam attinet? Quæstio est utrum unica sit artis ordinandæ methodus. P. Ramus, ais falló, sed tamen ais, *prætermisit inventionem artium*. Quid tum? inquam: utrum idcirco methodus collocandæ artis unica non erit? qua figura syllogismi, quo figuræ modo id abs te concluditur? O homo tui nominis (si tamen ullum habes) prodige & parum sollicite, quid in posterum homines de tua ista tam modesta tamque ingeniosa sapientia dicturi sunt? Pone quæstionem, & ab ea repente & tam longé digrederis. Doctrinæ methodus, de qua hic quæstio est, digressionem omnem ut sophisticam averfatur: Tu pro tuis multiplicibus methodis, unam aliquam tenuisti, quæ tibi permetteret viginti paginas ad quæstionem nihil attinentes balbutire & ineptire.

Sed hætenus ad res alienas in contumeliis & probris, in disputationibus nugatoriis, in sophistica prætermiffæ invetionis accusatione tibi responsum sit: quæ primæ partis mihi initio propositæ expositio altera fuit. Sequitur ab octavo folio disputatio tua reliqua, non magis quidem vera, sed tamen minus aliena: ubi primúm agnoscere videris sophisma tuum, cum dicis te velle de quæstione dicere, quod non sit unica methodus artis collocandæ. Jam *bona fide tecum paciscar*: (ais) Bene est, inquam ego: ostendis enim te nihil adhuc bona fide dixisse: cum nunc primum bona fide paciscaris. Verum age: duplici argumento, ut dictum est, tanquam adamantino quodam fundamento P. Rami sententia nititur, Aristotelica illa demonstratione, & artium omnium inductione: videamus primum quomodo tu Aristotelem oppugnes, deinde de P. Ramo videbimus. Erigite igitur animos, qui ista legitis, & machinas oppugnatoris tam vehementis & acris adversus unicum artis methodum ab Aristotele propositam, à P. Romo illustratam & vindicatam attendite. Hic  
aries

aries fossis substratis, aggere completo ad muros ad-  
 movetur, serióque jam pugnatur. Quid igitur Aristo-  
 teles aberravit, cum docuit in arte ordinanda á genera-  
 libus ad specialia tantúm procedendum esse, non con-  
 tra á specialibus ad generalia? Quid P. Ramus offen-  
 dit, cum hanc unicam & singularem methodú adver-  
 sus omnes hominum errores vindicavit? Dic Jacobe  
 Carpentari, cur non est unica artis collocandæ metho-  
 dus? Unum (ais) sicut & multa dicitur partim genere, par-  
 tim specie, partim numero. Sic enim Aristoteles ipse distin-  
 xit. 1. Top. O sapientem & consideratú philosophum,  
 qui nobis quisquillas istas, etiam á P. Ramo refutatas,  
 reponis! An nondum intelligere potuisti, vel ex alia  
 Aristotelis ipsius puriore & veriore doctrina, quicquid  
 enuntiaretur, generaliter, aut specialiter enuntiarí? to-  
 tumque hoc numeri commentum nihil esse? Tam mul-  
 ta enim P. Ramus tertio animadversionum, ex omni-  
 bus Græcis & Latinis auctoribus, ex Aristotele deniq;  
 ipso tã vere cõstanterq; differuit, ut, cum huc refugias,  
 maximã causæ tuæ diffidentiam ostendas. Adde quod  
 hoc tuum argumentum de unitate numeri, speciei, ge-  
 neris, valde ac vehementer tuã imperitiam vel in scho-  
 lasticis ineptiis, quas solas didicisti, coarguit. Longé  
 enim aliter apud Aristotelem 1. Top. τὰ ὅντα τῆς αἰτίας δια-  
 φέρται ubi res diversas comparatas inter se, facit easdem  
 numero, specie, genere. At tu sophisticæ hujus etiam  
 ignarus, miseré traducis Aristotelem, dum ejus de com-  
 paratione doctrinam transfers ad simplicem conside-  
 rationem, & iratus quæris utrum methodus artis sit  
 una numero, specie, genere. Atque hoc tuú argumen-  
 tum tam plumbeum, tam cæcum, tã turpis ignoratiæ  
 plenú, adversus aureã illã, omnis doctrinæ, omnis phi-  
 losophiæ regulã, putasti ingétem quandã machinã, qua  
 perrumperes ac perfringeres omnia. Sed tamen hoc  
 tuum argumentú latiús exponamus. *Methodus* (ais)  
 non est unica numero nec specie. Methodus vera in te Car-  
 pentari, nec numero, nec specie, nec genere ulla est: fa-

teor. At methodus disponendæ artis, de qua loquimur, una est in sese numero (quoniam nos ita loqui vis) nec in varias species dividua, usu tamen generalis & communis rerum omnium quæ in eam cadere possunt: sicuti tota Logica una est in sese, quanvis usu generalis sit, & omnium rerum communis. sic Arithmetica, Geometria, & quælibet omnino disciplina similiter una est. Sed P. Ramus (ais) facit hujus methodi quatuor species inter se differentes, primam à generalibus ad specialia, secundam à causis ad effecta, tertiam à fine ad media, quartam à partibus ad totum. Ubinam ista methodi distributio est Carpentari? Soles tu vel minima de causa etiam contra teipsum, locos ex libris P. Rami ad verbum citare: in hoc verò quod caput est, quod quæstionis summam, vel potius rem omnem continet, tu pro te ad istius divisionis probationem, ne verbum quidem citas? At quonam modo citares quod nusquam dicitur? Primum de methodo totius artis à partibus ad totum nulla usquam à P. Ramo facta mentio est. Ergo de quatuor illis generibus quartum istud, quia tuum cõmentum est, tibi habeto. Reliquis autem vocabulis, quæ tu in unum colligis, usus est ille quidem interdum. sed diversis in locis, nec tam sponte sua, quàm necessariò, quia primum ab iis usurpata erant, pro quibus aut contra quos scribebat. Ista verò distributio, quam tu tibi fingis, nusquam est. At enim (dicis) trium reliquorum à generalibus ad specialia, à causis ad effecta, à fine ad media, una methodus esse non potest. Enimvero Logica Aristoteleæ peritissime, quid ais? Generalia (inquit Aristoteles) sunt specialium causæ, & generales ideo fines specialium etiam causæ sunt. Itaque qui à generali fine initio artis per definitionem posito progreditur ad specialia media, & omnino quomodocunque à generalibus ad specialia, is à causis ad effecta progreditur. Nec si quãdo P. Ramus pro methodo ab universalibus ad singularia, dixit à fine ad media aut à causis ad effecta, tria propterea methodorum genera fecit aut intelle-



intellexit: sed his verbis unam semper & eandem methodum á generalibus ad specialia significavit: quia generalia sunt causæ specialium, ut dictum est ex Aristotele. Et hunc fuisse P. Rami sensum, non solum ejus liber, sed tu ipse quoque testis es, initio folii noni. Quare jam videmus quis sit tuus pudor, & quæ tua bona fides, cum partim ea affingas P. Ramo, quæ ab ipso nunquam scripta sunt: partim, relicta sententia, verba duntaxat aucuperis. Et tamen hoc tuum de unitate numeri, speciei, generis argumentum contra Aristotelem, solum est & unicum in toto libro tuo non alienum á quæstione. Quod ipsum per se sophisticum & ridiculum est: deinde, etiam abs te non intellectum, ut jam ostendimus: tum utendacio turpi confirmatum, & falso commento quod P. Ramus quatuor modos differentes hujus artificiosæ methodi fecerit. Quid igitur? Arias iste quæta tibi machina adversus Aristotelem videtur fuisse? *Methodus* (inquis) *artis collocandæ non est una numero, nec specie, quia P. Ramus quatuor ejus species fecit inter se differentes.* Imo, inquam, hæc methodus una est in sese & specie, & numero: nec eam P. Ramus unquam in alias species divisit. Hic arietis tui cornua retunduntur: quia machina tota in altas fossas disturbatur & corrui: & P. Rami sententia, quod unica sit artis disponendæ methodus, per tuos impetus adhuc stabilis & immota permanet. Sed ab isto proprio argumento, ad reliquas alieni sophismatis ineptias transeamus. Quatuordecim paginæ deinceps usque ad folium 16. nihil habent novi contra quæstionem, omnia sunt aut antecedentium repetitiones, aut nugæ á re proposita alienæ. Ergo præcipuas tot paginarum nugas (quis enim possit omnes?) huic homini ostendamus & exponamus. Objicit P. Ramo rationem quandam de finis antecessione non satis idoneam. de qua jam pridem P. Ramus in Logica, quod verius esset admonuit: sicuti etiam de 4. Grammaticæ partibus in Grammatica, quas iste simili calumnia paulo post citabit: ut antea librum

tertium institutionum Dialecticarum, qui in dialectica post annos septem edita nullus est. At homo iste calumnia tantum delectatur: ut quanvis antea bona fide pacisci se dixerit, mori tamen malit, quam bona fide quicquam agere. Debueras, Carpentari, de eo quod nunc est coram agere, non illa ab auctore emendata simiarum more repetere. Tu jampridem calumnia nescio qua propofueras decem, aut nescio quot editiones Logicorum P. Rami librorum. Postea animadveristi eum abs te laudatum esse, eodem argumento quo vituperare cogitabas. Nam si tot annos, tam saepe Logica illa in hac una urbe edita est, tot millia sunt discipulorum P. Rami, quot librorum millia jam inde empta fuerunt. Et tu, cum interrogareri de nescio quibus ineptiis abs te recoctis, cur tuas primas cogitationes retexeres, qui id in P. Ramo tam contumeliosè reprehenderas, quid, Academice novitiolè, quid tum respondisti? Sed ad reliqua pergamus. Folii noni pag. 2. repente Geometrarum censor & corrector factus, pro sua in mathematicis rebus singulari scientia, non vult è puncto lineam, è linea superficiem, è superficie corpus oriri. Ergo abs te, Geometra divine, in posterum postulabitur ut motu puncti ad datum punctum liceat lineam rectam ducere, motu rectæ altero puncto manente circulum describere, motu trianguli conum, parallelogrammi cylindrum, circuli sphaeram constituere. Homo ἀνωματικώτατε qui nunquam eruditi illius pulveris arenulam attigisti, etiam audes virum in illo studio tantopere versatum hac de re appellate? Similis in verbo *Generalis* cavillatio est: Non vis *Generale* dici quidpiam, nisi tua prædicabilia & prædicamenta interrogantibus respondeantur. quasi verò *Genus* & *Generale* idem sit, itemque *Species* & *speciale*. At tamen Aristotelis κατηγορήματα, ut tertio libro animadversio- num demonstratum est, doctrinam hanc recipiunt: Et Aristotelis doctrina recipit, in isto prioris & generalioris ordine ὃ μὴ ἀντίστροφον κατὰ τὴν τῷ εἶναι ἀκολου-  
 θῆσιν.

θισιν. Quin Aristoteles ipse ita loquitur, eo ipso in loco, in quo præcipit ut in tota arte ab universalibus ad singularia descendatur: ubi *universalia* vocat *communia*. Et nominatim definit universalia esse quæ in pluribus insunt: τὰ δὲ καθόλου κοινά (inquit) τὰ γὰρ πλείοσιν ὑπάρχοντα, καθόλου λέγομεν. sic qui Latine loquuntur, *Generale* & *commune*, *Generaliter* & *communiter* usurpant. Et tu ipse postea ignorantia tuæ iudex *Generale* interpretaberis quod sit multis commune, ut suo loco dicam. Hicigitur, Carpentari, nihil erat quod tam graviter de P. Ramo quereretur. Nunc etiam est quod tuam sive inscitiam, sive malitiam accuses ac lugeas. At tu exultas toto folio decimo, in illo tuo commeto de Analyfi partium in totum, quod P. Ramo nimium sanè impudenter affingis, & inde opinionum varietatem in ejus doctrina inesse concludis. Neque id tibi satis est: à simplicibus ad confusa perversè interpretaris, & ex malitiosa interpretatione tua infinitam calumniandi materiã trahis. At verba illa, Carpentari, non sunt P. Rami, sed Aristotelis, qui per τὰ συγκεχυμένα (cui respondet hoc verbum *confusa*, sive *composita*) intelligit *singularia*. Itaque P. Ramus in Aristotele explicando, Aristotelis more locutus pro eodem dixit *ab universalibus ad singularia*, & à *simplicibus ad confusa*, & alia quæ in illa conclusione collecta sunt, propterea quod ea omnia Aristoteles usurpat. I nunc, & cum infinitè mentitus sis, conclude ex tuis mendaciis (quod facis initio folii undecimi) P. Ramum velle nos progredi aliàs à simplicibus ad confusa, aliàs à confusis ad enodata: Sic enim tu & fingis, & loqueris. O hominis vanitatem incredibilem! (Quis enim hic se contineat?) Tène, Carpentari, ita esse pudoris & omnis humanitatis oblitum, ut sic palam mentiri audeas? ut famæ & existimationis tuæ nullam rationem habeas? An neminem tui dissimilem hæc perlecturum putasti? Tamen à malitia non discedis: Pergis nugari in illo tuo *confusa*: in eoque tendiculas valde aculeatas tibi videris invenisse, sicuti jam

antea in multis aliis: quæ tamen nihil nisi tuam sophisticam ostendunt. P. Ramus in variorum locorum explicatione variis nominibus uti coactus est. At in iis nullam methodi vim constituit, verborum sophismata tibi & tuis, nebularum integumenta concedit: rem intelligi vult: tricas istas verborum & apinas, quales hic perpetuò confectaris, quantum potuit, semper averfatus est, ut etiam disputatio illa de methodo iterum atq; iterum nominatim admonet. Sed de his satis, aut etiã nimis multa: ad alia veniamus. Folio undecimo ad finem paginæ primæ I. Carpentarius, quoniam agnoscit fortasse se hæcenus nugatum esse, de reconditis sapientiæ suæ thesauris magnum quidpiam nobis pollicetur. *Attende, inquit, quid in interpretibus Aristottlis à nobis primùm sit observatum, deinde ex usu notatum in gravissimorum philosophorum scriptis.*

*Quid dignum tanto feret hic promissor hiatus?*  
Nempe quod est apud eundem poëtam,

*Parturient montes nascetur ridiculus mus.*

Imò ne mus quidem nascetur. Nam hic gloriosus ostentator repente promissum obliviscitur, & ad alia omnia digreditur. Non putat in poëtis & oratoribus methodum artificiosam inesse: credo quòd ipse nullam in ulla re methodum unquam intellexerit. P. Ramo jam tertio senectutem exprobrat: Desperavit quippe se eò ætatis unquam perventurum, ac perpetuò juvenis aut etiam puer esse vult. Laudat se: quid faciat, cum non habeat a quo laudetur? Fingit sibi interea, errore nescio quo, se à P. Ramo in quibusdã scriptis esse perstrictum. Ego verò, Carpentari, confirmare tibi possum, te apud P. Ramum tanti esse, ut si suspicetur tui, vel minimam, suspensionem in suis operibus posse deprehendi, nihil prius sit acturus, quàm tam fœdam inde maculam deleverit. Sed tamen quis istarum ineptiarum finis erit? Quando tandem tuum istud de unitate numeri, speciei, generis argumentum concludetur? Veruntamen agite: disputator ille tam vehemens & acer  
hic

hic iterum de sese paulo nescio quid magnificentius sentit: Excusat se, ne quis putet tanti tamque excellentis viri majestatem imminui, quod de methodo disputet: Exclamat quaestionem de methodo maximam esse, & dignam summi philosophi praestantia. Quod sane verum est, ne quis putet hic falsa esse omnia. Est enim methodus singularis, vel ecclesiae potius organum tractandarum artium, ut qui eo praeditus, sit dignissimus artium professione magister habendus sit, qui careat, indignissimus. Sed tamen haec tibi faba cuditur, Carpētari, qui tot paginis disputationis tuae de methodo (quae praesertim supra quinquennium elaborata, methodicè imprimis instituenda erat) nullam methodi cognitionem, nullam ejus usum nullam logici falis micam demonstrasti.

*Ludere qui nescit campestribus abstinet armis,*  
ait ille. Tu valde novitius es in hoc ludo, imò plane caecus: Sed de tuis laudibus haec minina fuerit, de qua etiam coges nos alio loco dicere. Addis isto loco excusationis tuae, artem methodi esse praecipue difficilissimam, quoniam P. Ramus aliter scripsit: in quo imprudens Platonem derides, qui in Philebo exercitationem methodi difficilissimam omnium, artem vero minimè difficilem judicavit. ἢν διγλώσσαι μὲν & πάντα χαλεπὸν, inquit: χρῆσθαι δὲ, παρ' ἁλέπων. Derides item Aristotelem, qui hoc uno verbo rem totam complexus est, *natura prius praecedat*. Haec sunt folio 11. Folio duodecimo mirari te dicis, quod P. Ramus methodum à judicio separaverit. Ecquid non miraris etiam, quod natura cerebrum à capite separavit? Par enim admiratio fuerit: cum P. Ramus methodum non modo judicii Logici partem, sed praestantissimam divinissimamque partem fecerit. Sed unum in una pagina commentum, huic homini satis non est: Itaque conduplicandum fuit. Quale enim hoc alterum est, quod P. Ramus in oratoribus & poetis methodum artificiosam deesse fateatur? Etenim exempla artificiosae methodi de poetis & oratoribus deprompta, & ad ejus illustrationem in Logicis à P.

Ramo adhibita facillè hanc insignem impudentiã produnt & resellunt. Verùm qua fronte ista scribere ac divulgare audes Carpentari? quãnam isthac audacia est quã in libro toties, & à tot millibus tot annos, maxima cum utilitate & voluptate perlecto docentur, ea talibus mendaciis prævertere? hæccine bona fides est qua initio pacisceris? Sed te dimittam: Vos tantùm quicumque legetis hanc Carpentarii disputationem, moneo rogoque, ut nequid (nisi vestra sponte falli velitis ac decipi) de P. Ramo credatis huic homini in tot & tantis mendaciis, tam sæpe, tamque manifestè deprehensio, nisi locum perspexeritis, hæc sunt pag. 1. Pagina 2. citat, eadem veritate, Platonem in Timæo, Aristotelem in organo, de duabus methodis artis & prudentiæ: qui auctores in iis locis nihil de his methodis, sed de ratione probabilium & necessariorum, deque generibus argumentorũ, & dispositione partium unius syllogismi disputant: ut perpetuam in hoc homine Logicæ ignorantiam videamus. Sed fol. proximo, quod est decimum tertium, explicatæ sunt omnes ingenii Carpentariani divitiæ, propositumque tandem aliquid immenso quinquennii dignum labore. Methodum inveniendi invenit: ejus partes duas facit: Priorem, quæ primùm à fine posito initio gradatim descendat, per media fini proxima, ad ea quæ ab illo sunt remotissima, quam paulò post vocat Analysin, & naturæ deliberantis esse dicit: Posteriores, quæ deinde, contrario ordine, ab ultimis progrediatur, atque ab iis, per medios gradus, ad finem ascendat: hanc vocat Genesin, & naturæ jam gignentis esse putat. Quo loco (non enim amplius dissimulare possum) mirabile mihi fuit legenti & relegenti somnium illud de duabus inventionis partibus, & de natura deliberante, & gignente: obstupui, & miserabilem sophisticam istam in hoc homine deploravi. Naturæ deliberantis facit Analysin à fine summo, per media, ad infima: Naturæ agentis Genesin contrariam, ab infimis, per media, ad finem summum:

summum: & hanc utramque itionem & reditiōem inventionis esse vult. Recognosce, Carpentari, recognosce tandem istum vaporis, nescio cuius, ē tuo cerebro, tam tetrē & caliginosē exhalantis fumum. Analysis tua invenit artes omnes, deinde eas jam inventas Genesis invenit rursū, modo contrario: nec antē incipit, tuo iudicio, invenire, quā per Analysis omnia jam inventa sint. Quid hoc sophismate absurdus fingi, aut excogitari potest? Prior illa pars, quam tu vocas Analysis, est methodus illa vera & singularis, quam omnes artes, inventis partibus, & sigillatim probatis, tota universi corporis forma sequuntur. Et tu hāc methodum, de qua sola tibi discedendum esse statueras, etiam subicis inventioni? & ultimam Logicæ dispositionis partem, facis primam inventionis partem? o Logici Parisienses adeste, hominis huius inauditam omnibus antea seculis Logicam cognoscite. Inventionis methodus duas habet (inquit) partes, quarum prior res ignotas invenit, illo ipso ordine, quo artes jam inventæ collocantur: Posterior easdem res jam prius inventas rursus invenit. Quid ridetis? Jacobus, inquam, Carpentarius, jam pridem philosophiæ professor, nunc tandem medicinæ doctor, versata diu multumque quaestione de methodo supra quinquennium, excogitavit tandem methodum inveniendi, qua prius artes per collocationem inveniuntur, deinde earum jam inventarum inventio, tanquam ignotarum, alia rursus instituitur. Et (quod magis rideatis) exultat istam bellam duplicis inventionis distinctionem P. Ramo ignotam esse, & ignorantiam cornuti huius elenchi putat ei causam fuisse Galeni exagitandi. Egregie verò Galenum defendit. Atqui indignatus isti patrono Galenus,

*I, bibe (dixisset) purgantes pectora succos,*

*Quicquid est in tota nascitur Anticyra.*

At P. Ramus Galeni causam istam multo aliter egit: laudes Galeno tantas attribuit, quantæ summo alioqui philosopho doctissimo & eloquentissimo attribui posse

videbantur: omnes ejus de Logica locos vel ornavit, vel excusavit, vel ad regulam constantis ac ratae veritatis emendavit. At tu, ut P. Rami te quam dissimillimū demonstrēs, quid agis? Damnatum publicis judiciis, calamitosum, senem, audacem, veteris disciplinæ contemptorem, *Thessalum*, impudentem, novum academicum, in antiquitatem contumeliosum, vetetum juratum hostem, insolentem, nugatorem, somniatorem allatrando clamitas. Sed quid ego modestiam abs te requiram, qui nullum humanitatis cujusquam sensum habere videaris? Perge, quid sequitur? Ad probationem illius tui sophismatis de bicipiti inveniendi methodo fallō citas Aristotelis τὰ μετὰ τὰ φυσικά. Citas etiam quatuor illas methodos, quas in libro P. Rami somniasisti: At spero te jam antea ex illo insomnio excitatum & expergē actum esse. Tandem fol. 14. mirificam istam rerum inventarum inventionem, initio tibi tam bene fundatā, concludis, per multiplicatis (ut tuo verba utar) distinctionem. A fine summo, per media, ad ima, & á generalibus ad specialia, duo repugnantia progressionis & collocationis genera judicas. Quid jam est reliquum, quod non judices & nivem atram, & Æthiopem album? ignem frigidum, & glaciem calidam? Verum in illo tuo sophismate ridiculo quam valde tibi places? Eo Galenum antea defendisti, nunc eodem illo Aristoteleorū interpretum errores toto fol. 14. & 15. defendis. At istud sophisma tam obtusum, tam hebes, tantum abest ut aliorum errores excusare possit, ut ipsum tibi auctori suo turpissimam ignominia notā inurat. Accedit eó quod hos interpretes paulo post tu ipse in eadem causa damnabis. Sed tamen multiplicatis magister, quid ad quaestionem de methodo artis collocandæ tam bella ista & tam proluxa interpretum defensio? Age veró reliquam admirabilis hujus Logici sapientiam attendamus. Exultat ad finē istius defensionis, & triumphat gaudio, permittitque ut variis methodis, etiam in una eademque arte, uti liceat.



ceat. Cupiebam ab ipso requirere quamobrem tota disputatione sua tam dissolutus esset, nullam rem sibi proponeret initió, quæ artificiosa methodi prima laus est: nullam deinde partitionem adhiberet, quæ secunda: cur partes suo quamque loco & ordine non explicaret, quæ tertia: cur nullis transitionum vinculis partes disputationis suæ colligaret, quæ quarta: cur denique, quæ postrema laus est, nullum certum conclusionis exitum iudiciumque faceret: id est, cur tam confusus, tam perturbatus, omninoque tam ἀμείβος esset. Sed respondebit, ut video, pro multiplici jure multiplicium suarum methodorum, se modo hac, modo illa, pro sua libidine, uti, atque abuti. O te hominem legibus tuis liberum & beatum, Carpentari! O nos servos & miseros, qui, tam studiose & laboriose, methodum hanc unicam & singularem, non solum in arte, sed in qualibet quæstione, quæ perspicue tractanda sit, nobis tam sancte tamque religiose observandam & colendam proposuimus! Nunc vagare, digredere, somnia, comminiscere, turba, misce quælibet mendacia & commenta: methodi tam multiplices abs te inventæ laudem Logicæ & gloriam, supra, & contra methodicas Logicæ nostræ leges, comparabunt. Jam verò istam, de qua diximus, licentiam admiratio non mediocri consequitur fol. 16. Miratur enim cur P. Ramus non fecerit, ut unicam collocandæ artis methodum, sic unicam syllogismorum figuram, ut omnia nova faceret. Nova sunt huic homini & inaudita quæ apud Aristotelem maximè omnium decantata sunt. Etenim, Logice noster, Logica Aristotelis constituit in artibus, ut unicam methodum, sic unam concludendi formam. Nihil enim vult in artium institutione nisi universaliter & generaliter affirmatum & verum. Illa est nota κατὰ παντός, decem capitibus totis, in posterioribus, ab Aristotele proposita. Quod si syllogismo concludendum fit, certè unico & unicæ figuræ modo concludi potest. Quapropter in comparationis tuæ & πρώτης & ἀποδοσ

valde te Aristoteleæ Logicæ imperitum & ignarum ostendis.

Sed tamen tuum illum arietem tuamque illam horribilem numeri, speciei, generis machinam tandem aliquando concludamus. Hactenus enim adversus Aristotelis demonstrationem, omni impetu, comotus es. Non est (ais) methodus artis unica neque numero, neque specie: Quia P. Ramus quatuor genera facit. At si P. Ramus hic aliquid offendisset, an propterea Aristotelis demonstratio imbecillior esset? Verum P. Ramus genera methodi artificiosæ diversa nulla fecit: sed Jacobus Carpentarius, pro sua sanctitate & religione, P. Ramo, hæc falsò attribuit. Quinetiam Aristoteles ignorantiam Jacobi Carpentarii sibi fraudi esse negaret oportere, diceretque illum locum topici primi de numero, specie, genere, à Carpentario non intelligi. Quamobrem Iacobe Carpentari jamne sentis, jamne vides, quàm nõ dico debilis & infirma, sed quàm turpis, quàm scæda, quàm indigna medicinæ doctore disputatio tua adversus Aristotelis demonstrationem fuerit?

Iam consideremus quid aduersus reliquam unicæ methodi à P. Ramo disputationem afferas. P. Ramus ait unicam omnis artis disponendæ methodum esse: Inducitque ad eam fidem testimonia Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, & cujusvis omnino disciplinæ: nullamque artem ait esse, quæ aliam viam unquam tentarit. Tu quid respondes huic argumento? deessene aliquid inductioni? aliquam artem non progredi ab universalibus, à generalibus, comunibus, ad specialia, singularia, præcipua? Quid, inquam, hic respondes? Tria fere folia tuæ disputationis extrema hic consumpta sunt, 16. 17. 18. Quæ, per Deum immortalem, qui hæc legitis, studiosè mecum cognoscite. Multa inepta & ridicula in tanta quæstione, ab hoc homine adhuc extiterunt, sed nihil adhuc tam ineptum, tam ridiculum, tamque deridendum fuit. Tria exempla adversus inductionem P. Rami, à Iacobo Carpentario ostentantur. Homini  
igitur

igitur prima primū audiamus, quomodo suas tam multiplices methodos in eadem arte interpretetur. *Vus autem* (ait fol. 16.) *ut hoc ipsum quod de methodo in eadem arte varianda hoc loco contendimus, apertius intelligatur, proposito aliquo exemplo illustretur?* Equidem, Iacobe Carpentari, maximē volo & cupio, & te denique summum Logicum arbitror, si rem tā incredibilem, tamque (ut ita loquar) impossibilem praestiteris. Agendum igitur. *Non dicam* (ais) *Aristotelis Logico organo, ratiocinationis Genesin vel synthesin ex pronuntiatis, & pronuntiatorum ex simplicibus vocibus, primū explicari, deinde ejusdem ut generis universi, Analysin, vel diuresin in Apodicticam, dialecticam, & sophisticam. Quod quanquam id probabiliter dicatur à multis, sequi tamen nō placeat hoc tempore, quoniam à te jam pridem explosum est, & mihi, ut libere dicam quod sentio, non satis probatum.* Hæc tua est oratio, hæc tua verba sunt, Iacobe Carpentari, folio illo 16. quem ego locum legi sæpius & relegi, vixque meis oculis credidi, hominem quenquam sui tam oblitum, tamque immemorem fieri posse. Paulō antè, quatuor totis paginis, errorem interpretum Aristotelicorum, de methodo Logici organi tam confusi, acerrimè, & in P. Ramum contumeliosissimè defenderas, quem nunc reipsā coactus condemnasti. Equidem, quoquo animo egeris, magnam tibi gratiam debeo habeoque, non solum, quod organi Logici tantam confusionem, quantam P. Ramus libris animadversivorum demonstravit, tu tua testificatione, sententia, auctoritate condemnes: sed multo magis quod Logicae artis exemplū multitudini tuarum methodorū convenire non putes. Ergo P. Rami inductio de unica artis methodo adhuc per te salva est. Sed enim exemplum secundū proferetur, quo, scilicet, subvertetur inductio, in quo non tantum à generalibus deorsum ad specialia descendetur, sed etiam sursum versus ascendetur. Ergo secundū illud exemplum tā variis methodis variatū & coloratū abs te, Iacobe Carpentari, audiamus. Nullum exem-

plum affers: sed interrogas P. Ramū, quam metho-  
do physicam sit expositurus: & tibi ipsi, discipulus pro  
doctore, respondes ipsum á materia & forma ad physsi-  
cum corpus iurum, quæ tibi est Genesis: deinde distri-  
buturum in species, quæ est tibi Analysis. Ita tuo judi-  
cio P. Rami physica duas methodos habebit, Genesis  
& Analysis. Atqui si tibi á P. Ramo precarium exem-  
plum concederetur, tamen nihil esset contra quæstio-  
nem, si corpus physicum initió ( ut hæc methodus exi-  
git ) definitum distribueretur primúm in materiam &  
formã, quales in omnibus artibus innumerabiles par-  
titiones sunt integrorum in partes: deinde divideretur  
in species. Esset enim progressio totius artis nihilomi-  
nus á generalibus & cõmunibus ad specialia. Corporis  
enim physici definitio generalior esset: & in eodem ip-  
so loco distributio in partes ordinẽ nihil mutaret, non  
magis quam si diceres, præposito definito ante defini-  
tionẽ, Analysis mutari: forma enim artis ex totius cor-  
poris habitu spectãda est, nõ ex unguiculo aliquo defi-  
nienda. Verumenimvero, beatissime Logice, si verũ á P.  
Ramo perdiscere, quã in ista ludibria præceptis ire  
maluisses, didicisses, vel ex Aristotelis Logica, nihil in  
arte constituendũ esse nisi  $\kappa\epsilon\iota\theta\ \acute{\alpha}\nu\theta\delta$ : neq; ideo causæ cu-  
jusquã menciónẽ potiús in arte physica, quã generis &  
speciei, quã syllogismi vel methodi, quã cuiusquam  
deniq; Logici præcepti faciendã esse. Itaq; solus & tecũ,  
& sine tuo ( ut dicunt ) hospite ratiocinatus, frustra tibi  
has rationes deputasti. P. Ramus collocabit in physica,  
quæ physicæ propria erunt: neq; ab eo Analysis Genesis,  
vel Genesis Analysis ulla miscebitur, ut tu permiscerivis.  
teque, si tibi tandẽ aliquẽdo cõsulere velis, multis in hac  
doctrina, & falsis opinionibus liberabit. Debet ei stu-  
diofa syncerioris doctrinæ iuvẽtus Grammaticã, Rhetoricã,  
Logicã: ceteras liberales artes ( deo favente ) debe-  
bit. Quare si comitiali illo morbo tandem percuratus  
Latinis & Græcis literis te dedideris, si disciplinas ex  
sua veritate, utilitate, dignitate colueris, tot & tantas

ei laudes attribues aliquando, quot & quantas contumelias, libello isto tuo & antea alio nescio quo, in eum evomisti. Sed hoc secundum exemplum contra inductionem P. Rami, quid methodorum tuarum multitudinem adjuvat? Aristoteles ait à generalibus ad specialia in omni arte progrediendum: idque præceptum in physica philosophia constituit, & ita sanè progreditur. Tu, homo methodorum infomniis *μεθοδικώτατε*, Aristoteli vim afferre vis, & nomine P. Rami, non solum in præcepto verissimo, sed in exemplo clarissimo & illustrissimo condemnare? Ergo P. Rami inductio, per duo antecedentia tuæ disputationis exēpla, adhuc integra est. Ecquonam tandā tertio exemplo demonstrabis, artem totā aliquam non à generalibus ad specialia progredi? Equidem, quia modestiam mihi contra mores tuos proposui, nolo ego de te gravius quippiam dicere: sed tantum cupio hoc loco Logicos, ad quos ista quæstio pervenerit, in tertio tuo exemplo attentos esse. Omnes artes, Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Geometria, & quævis liberalis denique & ingenua disciplina, testes penè manu adducuntur à P. Ramo, ut judicetur ex earum sententia ac voluntate, quæ methodus illis oportuniissima & commodissima videatur. voce una omnes respondent, à generalibus ad specialia se velle progredi. Iacobus Carpentarius negat, & exemplū artis alicujus testimoniūq; contrariū pollicetur. Tentarat primū in Logica Aristotelis testimoniū testimoniis illis contrariū: sed conscientia nescio qua motus, artem illam testem producere erubuit: imò tanquam sibi contrariam, ad P. Rammum remisit. Physicam deinde testem produxit, sed falsum ipsi testimonium imposuit, & ab ipso physico philosopho repudiatum. Quid ergo? quam tandem ars Carpentario testis, contra unicam P. Rami methodum, aderit? Grammaticane an Rhetorica? minime, artes enim illas ut methodi expertes despicit. Logicane? antea jam, ut suspecta, in P. Rami subsellia concedere

iussa est. vtrum de mathematicis aliqua? hæ disciplinæ  
 sunt huic homini peregrinæ & barbaræ. Quanam igitur  
 tandem ars ista fuerit? Cogitate stuporis genus  
 quamlibet novum & inauditum: vincam tamen cogi-  
 tationem vestram. Adversus omnes artes ingenuas &  
 liberales unica & singulari via progredientes, citatur á  
 Iacobo Carpentario, Iacobi Carpentarii compendium  
 dialecticæ, multis methodis inter se pugnantibus con-  
 structum, Analyti á definitione suprema ad infima, Ge-  
 nesi á primis elementis ad maxima, O stultum Platonem!  
 o delirum Aristotelem! P. Ramum simplicem plebejos istos  
 auctores secutum, frustra que illi suæ artium  
 inductioni & testificationi tantopere confisum!  
 Etenim valeat jam autoritas omnium artium libera-  
 lium & ingenuarum, & tota illarum inductio corruat  
 & jaceat necesse est, producto dialectici nostri de dia-  
 lecticæ cõpendio. Veruntamen heus Iacobe Carpentari,  
 per Deum immortalem, quid hinc cogitasti? Si de  
 tribus capellis, imò de lana caprina, tibi lis esset, quo  
 ore apud iudicem auderes & pro teipso, & á teipso  
 testimonium afferre? Quæstio jam est omnium, quæ un-  
 quam extiterunt in disciplinis (quia de ipsarum forma,  
 & tanquam anima agitur) maxima gravissimæque,  
 maximæ gravissimæque inductionis argumento per  
 P. Ramum confirmata: & tu hanc tibi videris contra  
 maximè gravissimeque refutasse, si testimonium tuum  
 confidenter opposueris? Artes omnes liberales ajunt  
 sese á generalibus & universalibus ad specialia progre-  
 di: Iacobus Carpentarius negat, quia Iacobi Carpen-  
 tarii compendium secus procedat. Ergo, homo huma-  
 nitatis expers, tuam unius levitatem & stultitiam om-  
 nium artium auctoritati sapientiæque antepones? Quid  
 si etiam tuum hoc tanti tibi ponderis testimonium á te  
 improbatum antea & damnatum sit, quid fronte ista  
 tua fiet? Agedum legatur istud tuum compendium,  
 & conferatur cum prima illa organi Logici methodo  
 á teipso improbata & damnata, quid methodus illa  
 interpre-

interpretum á tui compendii methodo differet? certe nihil: nisi quód tu definis initio dialecticam, in eoque P. Rami methodum contra interpretes sequeris. Expectasne igitur, ut concludam tertium istud tuum exemplum nihil jam contra P. Rami inductionem facere? Quis non videt eo non modo contrá nihil effici, sed etiam tuam insignem temeritatem convinci? Sed mirificam tuam in isto compendio methodum solam, cæteris rerum sophismatis omissis, paululum consideremus. Definitionis & divisionis doctrinam doctrinæ prædicamentorum anteponis valde inscienter & imperité, cum definitionis & divisionis doctrinam putes é prædicamentis oriri. Hæc prima laus est in tua methodo. Deinde post doctrinam enuntiationis & syllogismi, quæ ad dispositionem pertinet, rursus inventionem confundis, & quidém contra Aristotelis organi ordinem: quia dialectici syllogismi tuam inventionem præponis syllogismi apodictici inventioni, cum in organo postponatur. Ita belli tui compendii & initio & extremo collocasti inventionem, quæ natura prima erat, & animal quoddam nobis pinxisti, cujus caput á pedibus nihil differret, ut interim omittam inventionem, cum generalis sit, generaliter & semel docendam fuisse. Atque in glorioso isto tantæ & tam incredibilis inertix compendio valde miratus sum, cum prædicetur abs te ut absoluta quædam Logicæ methodi idea, atque ut exemplum singulare & omnium artium exemplis anteponendum: in hoc, inquam, compendio valde miratus sum, nullam prorsus ipsius methodi mentionem fieri: & eam partem, quam tu ipse Logicæ maximam, tua ista disputatione, & nobilissimam judicas, abs te præmitti. Gloriaris te Logicam artem descripsisse: & tamen quod existimas absolutissimum & perfectissimum, id in ea totum est omissum. Cogita, quæso, qui sit hic elenchus, & quo nomine appellandus: verba expositioni meæ defunt, rem ex suo momento ponderato. Reliquos errores hujus compendii, & aliorum

scriptorum tuorum plurimos & maximos exponā tibi aliās copiosius. Constitui enim, cū studiis gravibus, & seriis defessus animus dare se iucunditati volet, tum ridendi gratia, ridicula sophismata tua pervolutare, eademque hoc expositionis genere illustrare: cuius oblectationis socios & participes habebō plurimos ē P. Rami ludo atque disciplina (sunt enim longē plures apud omnes gentes & nationes, quā tibi ac tuis similibus videatur: sed de familiaribus tantum loquor) qui certatim mecum efficiant, ut quantum tu tibi hactenus placuisti, tantum, patefacta inscitia & stultitia tua, & tibi & aliis omnibus in posterum displiceas. Emitte interim istos in Alcinoium cōmentarios, quos per hoc egregium specimen nobis ostentas. Hui quam bellos oportet eos esse! si tamen ulli sunt. Næ ego, si quando exierint, ita tibi illos depexos, ita exornatos dabo, ut si quid in hac eorum particula prætermisissimum sit, id in toto opere à me largissimè cōpēsatum esse cognoscas. Emitte præterea cōmentarium istud descriptionis Logicæ, quod nobis minitaris. Nam quæ hactenus edidisti, ea omnia proximis Bacchanalibus, dum intemperantes in voluptate bacchabuntur, à nobis exponentur. Nunc præclaræ hujus disputationis tuæ expositionem persequamur, & videamus, in producendo isto tuo aureolo compendiolo, quantam nobis laudū tuarum materiam præbueris. Pagina secunda folii decimi sexti, dicis in cōpēdiis (quæ, ut scis, rudibus proponi solent) necessariò à definitione incipiendum esse, ad hominum studia excitanda. deinde pag. proxima (quæ est prima folii 15.) mentis & memoriæ impotentia nescio qua, clarè & perspicuè dicis, cū volumus rudes instituere, atq; hos à primis artis elementis ad id quod habet summū quasi manu ducere, nihil esse necesse à definitione incipere: quòd verèdū sit ne definitione initio posita deterreatur ac desperatione debilitetur. hæc tua, & tuorū verborū incredibilis pugna tecū est. Hei mihi, quale animal, & quā indocile docendū suscipi!

*Definitio*



Definitio (ais) rudibus initió proponenda est: Definitio (ais idem) rudibus initió proponenda non est. Item Definitio initió posita excitat: Definitio initió posita deterret, & desperatione debilitat. Dissolve ænigma Oedipe, & responde bipedísne, an quadrupedis animalis existimari debeat: et de tot methodis tuis unam aliquã, quæ te hinc expediat, adhibeto. Quid deinde, nihilne est præterea? imó amplius. Nã hic magister ruit semper in pejus, ut mox videbimus. Ordo, ratio, & modus cùm aliis in rebus omnib<sup>9</sup>, tũ veró in studiis tãtũ possunt, ut qui hæc teneat, tantũ feré, quantum velit, efficiat: qui non teneat, frustra se cruciando nihil prorsus efficere queat. Itaque de ratione studii, & de institutione juventutis, multa volumina á multis conscripta sunt. Iacobus Carpentarius, qui illa non probat, nunc tandem ex sua sententia hac de re præcipit, & rem tantã uno verbo expedit. *Rudes* (inquit) *in ipsis artium elementis sic erunt exercendi ut nesciant quæ instituti summa sit*: tum (quod nunquam alias solet) ad hujus oraculi explicationem, addit pauló póst exemplum, & quidẽ ex seipso petitũ, ut antea de cõpendio: ac dicit se puerum Grãmaticam, adolescentem Logicam sic didicisse, *ut omnino nesciret* (inquit) *quó magistrorum in docendo, suus in discendo labor referretur*. En Carpentarii, & similibus sophistarũ methodum & ordinem: en studiorum rationem & modum: o literas! o artes! magister inauditæ fatuitatis, quæ vertigo mentis te impulit, ut hæc scriberes? imó etiam ut divulgares ac venditares? mirabar unde tibi tanta cùm doctrinæ, tum iudicii inopia: Nunc cum te isto modo institutum esse glorieris, non jam miror amplius. Et tu, ut didicisti, & ut docendum esse præcipis, ita etiam doces: nonne? Egregiam veró Reipub. operam navas. Huc, huc omnes, qui bonarum artium studio tenemini, huc undique sine mora concurríte: Iacobo Carpentario vos in disciplinã tradite. hic vos sic docebit, ut neque quid ipse sibi velit, neque quid vos agatis, intelligere possitis. Sed nullus unquam finis erit, si singula

persequamur: strictim igitur reliqua dicamus. Audet Iacobus Carpentarius P. Rami dialecticam ad suarum methodorū hystorologiā aggregare. at quousque tandem hominis hujus hæc tanta prorumpet audacia? In nomine Dialecticæ revocat ineptias tā multis ex Aristotele ipso sumptis testimoniis á P. Ramo explosas, quinetiam ab ipso Carpentario, belli sui compendioli initio, rejectas, ubi, nomine Dialecticæ, Apodicticam etiā cōprehendere se interpretatur. Has tu sordes sophísticas & superiores his majores, si in nostrorū aliquo, Carpentari, deprehendissēs, papæ, quales & quantas asini auriculas ipsi appingeres! Offendis & titubas ad eosdem scopulos duarum cōtrariarū methodorū in eandē artem cadentium, repetēdo ac permiscendo antē dictorum plurima, quæ prætereo ne tua vitia videar imitari. Ad extremū excusare iterū vis Galenū, vel potius in mentiēda Galeni excusatione P. Ramū accusare: Sed jam antea lectores admonui, ut locos cōferant: nuncque iterum mōneo, ut hoc tuum mendacium ex re ipsa deprehendant.

Hactenus de duabus mihi propositis initio partibus altera satis superque disceptata est, nihil esse in tota disputatione Carpentarii contra unicam artium collocandarū methodum, nihil Aristotelis demonstrationē, nihil P. Rami inductionem istius calumniis infirmari. Pars reliqua disputationis meæ mihi superest, á Iacobo Carpentario unicam artium methodum & singularē cōprobari, gladiatoremq; istum importunū suo ipsius gladio jugulari. Quæ pars, quia mihi ab ejus ludificationibus libera est, breviter ac perspicuē concludetur. Hic igitur qui oculis & corporibus adestis, mentibus ac judiciis adeste. Rem magnā polliceor, sed tamen verā. Iacobus Carpentarius ad finē folii 17. disputationis suæ, ait de duarum suarū methodorū Geneseos & Analyseos confusione. *Atque etiam illud addo, dum singulos gradus in Analyfi, vel Genesi persequemur, si quid in illis occurrat, quod generale sit, & suapte natura commune multis;*

multis: id ita esse explicandum, ut Analyticè semper à generalibus ad specialia descendamus. Hæc syllogismi nostri abs te, Carpentari, propositio est: ubi nunc tandem pro P. Ramo contra te ipsum, quid sit generale verè & cōmodè interpretaris, quod suapte natura sit commune multis: id quod antea te facturum esse prædixeram. Assumptio repetatur ab Aristotele. Atqui tria tota Aristotelis capita, septimum, octavum, nonum primi posteriorum præcipuè istam materiæ artificiosæ συγγέναν καὶ ὁμογέναν demonstrant: ut sit artis universæ materia penè tanquā categoria unica, quæ complectatur γενικώτατον, ἢ πᾶσι μιλᾶ, εἰδικώτατα: ἐπερογίης autem in arte nihil sit: Arithmeticum in Geometria esse ἀγεωμέτρητον, & Geometricum in Arithmetica ἀνάριθμον. Hæc Aristotelis, de tribus artificiosæ materiæ notis, secunda nota est καὶ ἄνῳ. Sub eodem genere (ait) omnia artis ejusdem propria cōprehenduntur ἢ ἀπλῶς, ἢ πῆ, aut absolutè aut modo quodā: Absolutè, ut species & differentia: modo quodam, ut proprietates. Hæc Aristotelis, Iacobe Carpentari, ad propositionè tuæ confessionis maxima illa & verissima Logicæ velut oracula sunt nobis assumpta. Quoties (ais) generalia occurrent in arte & suapte natura cōmunia, semper à generalibus ad specialia progrediendū est. At Aristoteles assumit, & ait in arte perpetuum id esse: omnia generali aliquo & cōmuni cōprehendi. Conclude igitur, Dialecticæ magister, & summā ratiocinationis confice, Quare in omni arte semper à generalibus ad specialia est descendendum. Hæc palinodia tui stuporis conscia, valde tibi turpis est: turpior tamen est etiā altera. Fol. 14. pag. 1. ex Aristotelis illa tam decantata demonstratione, *Magnum (ais) in docendo vitium est, sæpius idem dicere: Hoc verò effugere nemo potest, nisi hac methodo à maxime cōmuni ad ea quæ in specialibus im sunt, per intermedia proficiscatur.* Hæc verba sunt Iacobi Carpentarii adversus P. Ramū differentis non esse unicā methodum à generalibus ad specialia, & verba tamen, quibus ite-

rum pro generalibus dicit maximé cōmunia. Equidem non arbitror scientem & prudentem Iacobū Carpentarium hæc cōmentatum esse, aut sua manu descripsisse: sed vi veritatis, oppresso, coactóq; nec quid cogitaret, aut scriberet attento verba ista excidisse. A generalibus id est maximé cōmunibus ( ut ipse nobis, & pro nobis contra seipsum interpretatur ) per intermedia ad specialia proficiscendum est: secus maximum Tautologiæ vitium evitari non potest. Ergo Aristoteles, Aristotelisque demonstratio á Iacobo Carpentario re ipsa tandem defenditur: Ergo P. Ramus Aristotelem secutus á Iacobo Carpentario collaudatur, & unica artium methodus tandem asseritur: secus ait hic noster methodicus Tautologiam fœdam fore. Hæc te, Iacobe Carpentari, altera tam infamis palinodia, hæc te inconstantissima, si ullam partem sensus habes, lacerat & cruentat oratio. Quamobrem respice te: hanc verã & rectam methodum quã imprudens nunc tandé asseruisti, tu posthac prudens ac sciens tene: istas alias falsas & præposteratas declina, vita, fuge. Tu medicinæ doctor appellari vis: parumque interea cōsideras, ista tua methodorum multitudine & confusione, quam tibi miserix telam contexas. Nam sive sursum, sive deorsum progrediare, tibi Genesis, aut Analysis est. Denique quemcunque ægrotum, & quocunque modo curaveris, artificiosa quædam methodus tibi est. salubre, insalubre medicamentum dederis, remedium, venenum: nihil tua intererit: sanaveris, necaveris, methodorū tuarum aliqua fuerit. At si fama hæc de te semel in vulgus exeat, quis, vel desperatus, ægrotus tali medico se commissurus videatur?

Sed operæ jam nimium in dedocendo hoc homine nobis consumptum est. Vos in Parisiensi Academia, doctissimi & eruditissimi medicinæ doctores, huc appello: vestram hic, ut inquit ille,

*Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, imploro fidem*  
adeſte, cognoscite, animadvertite quæ res in hac controversia

troverſia verſetur. De methodo ordinandæ, collocandæ, exercendæ etiam artis cujuſvis ac diſciplinæ agitur: quo genere gloria imprimis veſtræ profeſſionis continetur. Methodus in Grâmatica, aut Rhetorica nulla ſit: gravis culpa nequaquam videatur, ut hic tantum barbaria vel infantia linguæ derideri poſſit. Methodus in aliquo magiſtri Logici cõmentario nulla ſit: ignorantia purioris philoſophiæ, & Logici uſus imperitia, elenchus denique ſophiſticus deſpicitur. At una medicinæ doct̃rina ſi perverſe & præpoſtere doceatur & exerceatur, culpa iſta non riſu, non deſpectu traducitur, ſed lugetur & deploratur morte hominũ & interitu. Diſputatis plerunque theſes phyſicas publicis ſcholæ veſtræ diſputationibus, imò phyſicæ medullam non minũs copioſe & eleganter, quàm accuratè & graviter tractatis. Hanc theſim de unica artis methodo, per ſacras Apollinis muſas, diſceptatione & iudicio ſcholæ veſtræ, ut eſt, ita dignã iudicate. P. Ram<sup>9</sup> præceptor meus unicam eſſe demonſtravit, à generalibus ad ſpecialia, argumento Ariſtotelis de intelligentia, & memoria permagno, teſtimonio artium omnium ampliſſimo. Iacobus Carpentarius multis probris & calumniis incum invehitur: rationis & animi inopia & impotentia eſt. Rebus alienis & falſis abutitur, primũ quòd Analyſis, Geneſis, ſyntheſis, diareſis tripliciter dicatur, id eſt omnes viæ non ſolum rectæ, ſed etiam inverſæ ac tortuoſæ methodi nomine comprobentur, ſic ut nulla quid libet confundendi ſtultitia non ſit ei methodica: deinde quòd P. Ramus omiſerit methodum artium inveniendarum. Sophiſticæ hic copia & potentia eſt, comminiſci quidvis & conſingere, non veris & propriis argumentis contra cauſam agere. atque hæc diſputationis pars omnino dimidia. Reliqua dimidia pars duobus illis argumentis Ariſtotelis & P. Rami, duo argumenta oppoſuit: alterum falſum atque etiam ab argumentatore ſuo non intellectum, quòd methodus doct̃rinæ non ſit unica, neque numero, neque ſpe-

cie: alterum παραδοξώτατον, quod cento omni genere  
 sophismatis confutus, á suo etiam interpolatore im-  
 probatus, tamen auctoritate testimonii & pondere ad-  
 versus omnium artium splendorem & dignitatē com-  
 paretur. Denique accusator ipse thesim de unica artis  
 methodo tam indignis modis accusatam, tandem  
 testimonio suo duplici confirmatam vindicavit. Sed  
 tamen non postulo ut propterea urna moveatur, vel  
 eatur in consilium, sententiaque de tanta re secundum  
 hæc argumenta proferatur: ampliate potius iudicium,  
 patronos intelligentiores & vigilantiores advocate,  
 thesim denique disputationibus vestris proponite: &  
 acerrimis ingeniis (cujusmodi in vestro collegio, id est  
 in Academia Parisiensis splendore summo, tam multa  
 sunt) expendite, modisque omnibus disceptate qua-  
 lissimam sit illa prima demonstratio de lumine intelli-  
 gentiæ & memoriæ, itē hæc altera de artium omnium  
 in unicum methodum consensione & conspiratione:  
 proque præstantissimi ordinis eximia sapientia perfici-  
 cite, ut dogmatis ad omnis doctrinæ, sed vestræ im-  
 primis, institutionem & usum tam singularis, tamque  
 divini perfectio vobis & absolutio debeatur.

FINIS.